




ZLATOMISNIKU
MONS. DR. ĆIRILU KOSU
BISKUPU
ĐAKOVAČKE I SRIJEMSKE BISKUPIJE
VELIKOM REKTORU
VISOKE BOGOSLOVNE ŠKOLE
O
75. OBLJETNICI ŽIVOTA
50. OBLJETNICI SVEĆENIŠTVA I
20. OBLJETNICI BISKUPSKE SLUŽBE

*PROFESORI VISOKE BOGOSLOVNE ŠKOLE,
SVEĆENICI, SURADNICI, PRIJATELJI*



GRB BISKUPA
ĆIRILA KOSA



Venerabili Fratri
CYRILLO KOS
Episcopo Diacovensi et Sirmiensi

Gratissimum profecto tibi erit, Venerabilis Frater, clarum vitae tuae eventum commemorare, sacerdotii videlicet quinquagesimum natalem; sed gratum etiam est Nobis eismodi sollemnitatem participare hac brevi Epistula, per quam tibi gaudium nostrum significare volumus debitamque tribuere laudem atque gratulationem.

Praecipua enim vitae tuae incepta, pastoralis praesertim ministerii momenta inspicientes, singularem erga te gratiae divinae actionem iucundo animo animadvertisimus.

Die nono mensis Iulii anno MCMXLIV sacerdotio initiatus, triginta per annos variis muneribus es functus Zagrebiensi in metropolitana ecclesia donec Paulus VI, Decessor Noster rec. me., te, anno MCMLXXIV, Episcopum constituit dioecesis Diacovensis et Sirmiensis, quam viginti iam annos per semitas Evangelii egregie deducis.

Longe lateque Evangelium praedicasti, egenos adiuvisti, christianaे doctrinae elementa recte explanavisti, fidelitatem erga Ecclesiam nec non animi virtutes commonstravisti aetate etiam difficiли communistarum regiminis. Apostoli Gentium exemplum secutus, totum regni caelorum causae te dedidisti, illud Pauli prae oculis habens: »Omnia autem facio propter Evangelium, ut compraticeps eius efficiar« (1 Cor 9,23). Quapropter a sacerdotibus etiam et Christifidelibus tuae curae pastorali concreditis merito aestimaris.

Annis superioribus multa te sollicitabant ob bellum in patria terra concitum: fideles vi coacti sunt domicilia relinquere, sacrae aedes et ipsae communitates paroeciales sunt destructae, complures Christifideles et sacerdotes interficti, caedes immanes, praestertim in oppidis Vukovar, Osijek, Vinkovci vulgo appellatis inductae. Tu, Venerabilis Frater, inter innumeras angustias, sacerdotales virtutes prudentiae et sapientiae nec non pietatis ac fidelitatis exemplum omnibus semper praebuisti. Actuosa etiam praedicatione, caritate, sollicitudine erga omnes sed maxime in pauperes, aegrotos, derelictos, mirum in modum communitatem tuam ecclesiale administravisti.

Exoptamus ut quam primum atque feliciter impleatur propositum a te, mense Aprili anno MCMXCI, perutile magnoque cum paterna sollicitudine elaboratum ad profugos in patriam reducendos et ad iterum vicos a bello destructos aedificandos.

Accipe, Venerabilis Frater, salutationem Nostram ferventem Nostramque de sacerdotalibus episcopalibusque tuis inceptis sinceram gratulationem. Bona quidem omnia ominantes sive tibi sive gregi cui praees, a Summo rerum hominumque Moderatore petimus, ut adlaboranti tibi praesentissimus assit, dum Benedictionem Nostram Apostolicam impertimus tibi iisque omnibus quos caros habes.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Maii, anno MCMXCIV,
Pontificatus Nostri sexto decimo.*

A handwritten signature in black ink, appearing to read "Ioannes Paulus II".